

AUSONE

EPHEMERIDES (233 vers)

SANS TITRE

E_1 v.1 Mane jam clarum reserat fenestras,
 2 jam strepit nidis vigilax hirundo :
 3 tu velut primam mediamque noctem,
 4 Parmeno, dormis.
 5 Dormiunt glires hiemem perennem,
 6 sed cibo parcunt : tibi causa somni,
 7 multa quod potas nimiaque tendis
 8 mole saginam.
 9 Inde nec flexas sonus intrat aures
 10 et locum mentis sopor altus urget
 11 nec coruscantis oculos laccessunt
 12 fulgura lucis.
 13 Annuam quondam juveni quietem,
 14 noctis et lucis vicibus manentem,
 15 fabulae fingunt, cui Luna somnos
 16 continuarit.
 17 Surge, nugator, lacerande virgis,
 18 surge, ne longus tibi somnus, unde
 19 non times, detur : rape membra molli,
 20 Parmeno, lecto.
 21 Fors et haec somnum tibi cantilena
 22 Sapphico suadet modulata versu ?
 23 Lesbiae depelle modum quietis,
 24 acer iambe.

PARECBASIS

E_2 v.1 Puer, eia, surge et calceos
 2 et linteam da sindonem ;
 3 da, quidquid est, amictui
 4 quod jam parasti, ut prodeam.
 5 Da rore fontano abluam
 6 manus et os et lumina.
 7 Pateatque fac sacrarium
 8 nullo paratu extrinsecus.
 9 Pia verba, vota innoxia,
 10 rei divinae copia est.
 11 Nec tus cremandum postulo
 12 nec liba crusti mellei
 13 foculumque vivi caespitis
 14 vanis relinquo altaribus.
 15 Deus precandus est mihi
 16 ac filius summi Dei,
 17 majestas unius modi,
 18 sociata sacro spiritu.
 19 Et ecce jam vota ordior
 20 et cogitatio numinis
 21 praesentiam sentit pavens -

22 pavetne quicquam spes, fides ?

ORATIO

E_3 v.1 Omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu,
 2 ignore malis et nulli ignote piorum :
 3 principio extremoque carens, antiquior aevo,
 4 quod fuit aut veniet : cujus formamque modumque
 5 nec mens complecti poterit nec lingua profari :
 6 cernere quem solus coramque audire jubentem
 7 fas habet et patriam propter considerare dextram
 8 ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis.
 9 Ipse dei verbum, verbum deus, anticipator
 10 mundi, quem facturus erat : generatus in illo
 11 tempore, quo tempus nondum fuit : editus ante
 12 quam jubar et rutilus caelum inlustraret Eous :
 13 quo sine nil actum, per quem facta omnia : cujus
 14 in caelo solium, cui subdita terra sedenti
 15 et mare et obscurae chaos insuperabile noctis :
 16 inrequies, cuncta ipse movens, vegetator inertum :
 17 non genito genitore deus, qui fraude superbi
 18 offensus populi gentes in regna vocavit,
 19 stirpis adoptivae meliore propage colendus :
 20 cernere quem licuit proavis, quo numine viso
 21 et patrem vidisse datum contagia nostra
 22 qui tulit et diri passus ludibria leti
 23 esse iter aeternae docuit remeabile vitae :
 24 nec solam remeare animam, sed corpore toto
 25 caelestes intrare plagas et inane sepulcri
 26 arcanum vacuis adopertum linguere terris.
 27 Nate patris summi nostroque salutifer aevo,
 28 virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,
 29 nil ex invidia retinens plenusque datorum,
 30 pande viam precibus patriasque haec perfer ad aures.
 31 Da, pater, invictam contra omnia crimina mentem
 32 vipereumque nefas nocituri averte veneni.
 33 Sit satis, antiquam serpens quod prodidit Aevam
 34 deceptumque adjunxit Adam : nos sera nepotum
 35 semina, veridicis aetas praedicta prophetis,
 36 vitemus laqueos, quos letifer implicat anguis.
 37 Pande viam, quae me post vincula corporis
 38 aegri in sublime ferat, puri qua lactea caeli
 39 semita ventosae superat vaga nubila lunae,
 40 qua proceres abiere pii quaque integer olim
 41 raptus quadrijugo penetrat super aera curru
 42 Elias et solido cum corpore praevis Enoch.
 43 Da, pater, aeterni speratam luminis auram,
 44 si lapides non juro deos unumque verendi
 45 suspiciens altare sacri libamina vitae
 46 intemerata fero : si te dominique deique
 47 unigenae cognosco patrem mixtumque duobus,
 48 qui super aequoreas volitabat spiritus undas.
 49 Da, genitor, veniam cruciataque pectora purga,
 50 si te non pecudum fibris, non sanguine fuso
 51 quaero nec arcanis numen conjecto sub extis :
 52 si scelere abstineo errori obnoxius et si
 53 opto magis quam fido bonus purusque probari.
 54 Confessam dignare animam, si membra caduca

55 exsecror et tacitum si paenitet altaque sensus
 56 formido excruciat tormentaue sera gehennae
 57 anticipat patiturque suos mens saucia manes.
 58 Da, pater, haec nostro fieri rata vota precatu.
 59 Nil metuum cupiamque nihil : satis hos rear esse,
 60 quod satis est. Nil turpe velim nec causa pudoris
 61 sim mihi. Non faciam cuiquam, quae tempore eodem
 62 nolim facta mihi. Nec vero crimine laedar,
 63 nec maculer dubio : paulum distare videtur
 64 suspectus vereque reus. Male posse facultas
 65 nulla sit et bene posse adsit tranquilla potestas.
 66 Sim tenui victu atque habitu, sim carus amicis
 67 et semper genitor sine volnere nominis hujus.
 68 Non animo doleam, non corpore : cuncta suetis
 69 fungantur membra officiis, nec saucius ullis
 70 partibus amissum quicquam desideret usus.
 71 Pace fruar, securus agam, miracula terrae
 72 nulla putem. Suprema diei cum venerit hora,
 73 nec timeat mortem bene conscia vita nec optet.
 74 Purus ab occultis cum te indulgente videbor,
 75 omnia despiciam, fuerit cum sola voluptas
 76 iudicium sperare tuum. Quod dum sua differt
 77 tempora cunctaturque dies, procul exige saevum
 78 insidiatorem blandis erroribus anguem.
 79 Haec pia, sed maesto trepidantia vota reatu,
 80 nate, apud aeternum placabilis adsere patrem,
 81 salvator, deus ac dominus, mens, gloria, verbum,
 82 filius, ex vero verus, de lumine lumen,
 83 aeterno cum patre manens, in saecula regnans,
 84 consona quem celebrant modulati carmina David :
 85 et responsuris ferit aera vocibus Amen.

EGRESSIO

E_4 v.1 Satis precum datum deo,
 2 quamvis satis numquam reis
 3 fiat precatu numinis.
 4 Habitum forensem da, puer.
 5 Dicendum amicis est have
 6 valeque, quod fit mutuuum.
 7 Quod cum per horas quattuor
 8 incliniet ad meridiem,
 9 monendus est jam Sosias.

LOCUS INVITATIONIS

E_5 v.1 Tempus vocandis namque amicis appetit.
 2 Ne nos vel illis demoremur prandium,
 3 propere per aedes curre vicinas, puer.
 4 Scis ipse, qui sint : jamque dum loquor, redi.
 5 Quinque advocavi. Sex enim convivium
 6 cum rege justum, si super, convicium est.
 7 Abiit : relictis nos sumus cum Sosia.

LOCUS ORDINANDI COQUI

E_6 v.1 Sosia, prandendum est. Quartam jam totus in horam
 2 sol calet : ad quintam flectitur umbra notam.

3 An vegeto madeant condita opsonia gustu
 4 (fallere namque solent), experiundo proba.
 5 Concute ferventes palmis volventibus ollas,
 6 tinguere celer digitos jure calente tuos,
 7 vibranti lambat quos umida lingua recursu.

IN NOTARIUM IN SCIBENDO VELOCISSIMUM

E_7 v.1 Puer, notarum praepetum
 2 sollers minister, advola.
 3 Bipatens pugillar expedi,
 4 cui multa fandi copia,
 5 punctis peracta singulis,
 6 ut una vox absolvitur.
 7 Ego volvo libros uberes
 8 instarque densae grandinis
 9 torrente lingua perstrepo ;
 10 tibi nec aures ambigunt,
 11 nec occupatur pagina
 12 et mota parce dextera
 13 volat per aequor cereum.
 14 Cum maxime nunc proloquor
 15 circumloquentis ambitu,
 16 tu sensa nostri pectoris
 17 vix dicta jam ceris tenes.
 18 Sentire tam velox mihi
 19 vellem dedisset mens mea,
 20 quam praepetis dextrae fuga
 21 tu me loquentem praevenis.
 22 Quis, quaeso, quis me prodidit ?
 23 Quis ista jam dixit tibi,
 24 quae cogitabam dicere ?
 25 Quae furta corde in intimo
 26 exercet ales dextera ?
 27 Quis ordo rerum tam novus,
 28 veniat in aures ut tuas,
 29 quod lingua nodum absolverit ?
 30 Doctrina non hoc praestitit
 31 nec ulla tam velox manus
 32 celeripedis compendii :
 33 natura munus hoc tibi
 34 deusque donum tradidit,
 35 quae loquerer, ut scires prius
 36 idemque velles, quod volo.

SANS TITRE

E_8 v.1 Quadrupedum et volucrum vel cum terrena marinis
 2 monstra admiscentur ; donec purgantibus euris
 3 difflatae liquidum tenuentur in aera nubes.
 4 Nunc fora, nunc lites, lati modo pompa theatri
 5 visitur ; et turmas equitum caedesque latronum
 6 perpetior ; lacerat nostros fera belua vultus
 7 aut in sanguinea gladio grassamur harena.
 8 Per mare navifragum gradior pedes et freta cursu
 9 transilio et subitis volito super aera pinnis.
 10 Infandas etiam veneres incestaque noctis
 11 dedecora et tragicos patimur per somnia coetus.

12 Perfugium tamen est, quotiens portenta soporum
13 solvit rupta pudore quies et imagine foeda
14 libera mens vigilat ; totum bene conscia lectum
15 pertractat secura manus : probrosa recedit
16 culpa tori et profugi munus cum crimine somni.
17 Cerno triumphantes inter me plaudere : rursus
18 inter captivos trahor exarmatus Alanos.
19 Templa deum sanctasque fores palatiaque aurea
20 specto et Sarrano videor discumbere in ostro
21 et mox fumosis conviva accumbo popinis.
22 Divinum perhibent vatem sub frondibus ulmi
23 vana ignavorum simulacra locasse soporum
24 et geminas numero portas : quae fornice eburno
25 semper fallaces glomerat super aera formas :
26 altera, quae veros emittit cornea visus.
27 Quod si de dubiis conceditur optio nobis,
28 desse fidem laetis melius quam vana timeri.
29 Ecce ego jam malim falli. Nam, dum modo semper
30 tristia vanescant, potius caruisse fruendis,
31 quam trepidare malis. Satis est bene, si metus absit.
32 Sunt et qui fletus et gaudia contraversum
33 conjectent varioque trahant eventa relatu.
34 Ite per obliquos caeli, mala somnia, mundos,
35 inrequieta vagi qua difflant nubila nimbi ;
36 lunares habitate polos, quid nostra subitis
37 limina et angusti tenebrosa cubilia tecti ?
38 Me sinite ignavas placidum traducere noctes,
39 dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.
40 Quod si me nullis vexatum nocte figuris
41 mollis tranquillo permulserit aere somnus,
42 hunc lucum, nostro viridis qui frondet in agro
43 ulmeus, excubiis habitandum dedico vestris.